

Franckesche Stiftungen zu Halle

Festos Paschae Dies Debita Religione Ac Pietate Celebrandos Fridericianae Prorektor Theodor. Christoph. Vrsinvs Medicinae Et Philosophiae Doctor ...

Ursin, Theodor Christoph

Halae, MDCCXXXVIII.

VD18 1240408X

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-192398



icuti valde nobis salutare, ac proinde et-
 iam merito iucundissimum adhuc auditu
 fuit; cum quod Iesus Christus dolores
 ac cruciatus, nostro loco non minus
 quam nostra causa susceptos, constan-
 ter pertulit, tum quod totam vitam, in
 his terris actam, ad legem patris volun-
 tatemque conformauit idem exactissi-
 mus Seruator: ita profecto non minori
 nobis gaudio esse debet, quod in praesenti omnia laetissimis vocibus
 personare audimus, Iesum Dominum nostrum, atrocissima
 morte pro salute nostra oppetita, in vitam rediisse, immortalita-
 temque consecutum vivere vitam beatissimam in omnem aeterni-
 tatem. Christo enim in vitam restituto, euidentissima ratione
 confirmatum est, omnia illius dicta et facta Deo immortali plane
 rata ac probata fuisse, totamque rem nostram eo iam loco positam
 esse, ut nihil plane sit, quod nos aditu ad Deum prohibere, aut
 impedimento esse possit, quo minus bono ac fidenti animo erga
 illum

illum simus, optima quaeque ab eo, tamquam a parente nobis plane reconciliato, liberorum adfectu expectantes: si modo tutissimam, quam nobis demonstrauit, salutis viam ingredi, eamque ingressi tenere constanter et persequi velimus. Quoniam itaque tempus illud rediit, quo anniuersaria memoria reditus Christi in vitam publice in ecclesia renouatur: nobis quoque visum est, Ciues optimi, officii vestri vos admonere, et quantum in nobis est, id agere, vt dies festos bene ac decenter transigatis; quod tum demum rite fieri poterit, si serio cogitaueritis, et mortem et vitam Seruatoris ad vos quoque pertinere, salutemque vestram in eo positam esse, vt illi vobis permittatis, qui vobis se totum prior tradidit, quo veniam criminum omnium consequi, simulque etiam vitam beatam adipisci possitis.

Nos interim, quod nostri officii est, ita agemus, vt, retento more recepto, cohortationi nostrae breuem de argumento vtili atque ad tempus accommodato disputationem praeponamus. Delegimus eo consilio memorabile Petri *de profectione Christi ad spiritus in carcere* effatum, quod his verbis expressum legimus: (1 ep. III, 18. 19. 20.) *sicut et Christus semel pro peccatis nostris passus est, iustus pro iniustis, vt nos Deo adduceret; interemtus quidem carne, vita vero donatus Spiritu. In quo etiam spiritibus in carcere profectus praedicauit, qui non crediderunt aliquando, cum Deus expectaret in diebus Noae, cum appareretur arca.* Non est nobis constitutum, omnia in praesenti explanare, quae in difficiliore hoc loco interpretatione egent, cum id nec temporis nec instituti ratio permittat: (a) sed ea tantum attingere animus est, quorum cognitio plane necessaria videtur, si intelligere velimus, quae illius profectionis Christi ad spiritus in carcere fuerit ratio.

Ante vero quam ad ipsam disputationem accedamus, non inutile arbitramur, cohaerentiam huius effati cum superioribus apostoli dictis breuiter attingere: quoniam accuratior illius inuestigatio

(a) Ingentem exercitum auctorum atque interpretum, qui studium et operam in difficili hoc loco explanando posuerunt, coegit IO. CHRISTOPH. WOLFFIUS in *curis philol.* p. 134. *sqq.*, quem, qui volent, apud illum lustrare poterunt.

gatio omnino aliquid confert, ut ipsius, quem tractamus, loci sententiam eo melius perspicere queamus. Cohortatus scilicet fuerat apostolus discipulos Christi, ut varia mala, propter Christum eiusque causam subeunda, aequo animo et constanter perferrent, certo sibi persuasum habentes, non solum non detrimento, verum etiam magno emolumento id ipsis futurum; si non ob maleficia, sed propter recte facta fidemque Christo seruata, incommoda multa ac calamitates perpeti cogerentur. Quam orationem suam ut altissime in animis eorum defigeret, Christi exemplum ante oculos proponit, cogitare eos iubens, quae et quam atrocia, innocens ipse, nihilominus amore nostri et suscepit et pertulerit. Hoc enim, quod dicimus, aperte sibi volunt verba: *Christus semel pro nobis passus est, iustus pro iniustis, ut nos Deo adduceret.* Praeterea vero apostolus his quoque verbis demonstrat, finem, quem sibi, durissima quaeuis perferens, propositum habuerit meritisimam vniuersi generis humani Seruator, nullum fuisse alium, quam ut nos Deo adduceret. Adduxit vero primum nos Deo iam olim, dum Deo nos morte sua reconciliauit: deinde vero adducit etiam in praesenti, dum omnes, qui conciliationem illam gratiae vera fide ad se transferunt, apud Deum in gratia ponit, eosdemque ad aeternam gloriam iisdem gradibus ac vestigiis perducit, quibus ipse summus seruandorum omnium imperator, vere augustus, ad eam contendit. Subiicit postea apostolus; *interemtus quidem carne, vita vero donatus Spiritu:* quae videtur eam ob causam adiecisse, ut eo clarius nobis de modo constaret, quo Christus rem eo deduxerit, ut credentes non solum, quoad aeuum in terris agunt, Deo fide vera sint arctissime coniuncti; verum etiam illud assequantur, ut post excessum ex hac mortali vita, arctiori adhuc societate cum eo coniuncti, coelestibus bonis, detractis plane omnibus malis vitam beatam perturbantibus, in omnem aeternitatem perfruantur. His praedictis, iam ad rem ipsam accedimus, de profectione Christi ad spiritum in carcere disputaturi. Quo vero planior fiat oratio nostra et illustrior, partibus quibusdam et quasi articulis factis: quatuor capitibus ea comprehendere placet, quae de arduo hoc argumento in praesenti disserere animus est. *Primo* itaque constituendum est, quae sit sententia verborum, *interemtus quidem carne, vita vero donatus Spiritu:* deinde disquirere necesse est, qui-

nam sint *spiritus illi in carcere*, aliquando non credentes tempore Noae: *tertio* dispiciendum erit, *quo in statu et quo tempore Christus ad eos profectus dicatur: quarto* denique *praeconium a Christo factum* paucis attingemus.

Primo igitur loco inuestigandum est, quid sibi velint verba, *interuentus quidem carne, vita vero donatus Spiritu*: de quorum sententia plane nobis constare oportere, si reliqua feliciter expedire velimus, cuius facile erit ad intelligendum. Maximam vero difficultatem habent verba *caro* et *spiritus* in Christo hoc loco posita. Vsurpantur haec vocabula etiam alibi, ubi de Christo sermo est: in primis vero huc pertinet effatum Pauli (Rom. I, 3. 4.), ubi Iesus Christus dicitur *ortus ex semine Davidis κατὰ σαρκά* s. *secundum carnem*: definitus vero *filius Dei in potentia κατὰ πνεύμα ἁγίου* s. *secundum Spiritum sanctimoniae*. Cui accedit alter locus Paulinus (1 Tim. III, 16.) ubi apostolus, *Deus*, inquit, *manifestatus est in carne, iustificatus in spiritu*. Tertium locum Paulinum (Rom. VIII, 5.) pariter ab interpretibus adferri solitum, nos consulto in hac breuitate praetermittimus, quia vocabulum *spiritus* in illo discrete expressum non legitur. Disceptanda ergo nunc venit difficilis quaestio, quae notio vocabulis *caro* et *spiritus* subiicienda sit, si in sermone de Christo usurpantur. Peruulgata plurimorum interpretum sententia est, vocabulum *caro* in locis prolati omnibus totam naturam Christi humanam significare: vocabulum vero *spiritus* naturam eius diuinam, quae quin commodissime vocabulo *spiritus* appellari possit, dubitari nequeat, cum Deus spiritus omnibus numeris absolutissimus, infinitaque virtute praeditus sit, ipso Seruatore illud aperte testante. (Io. III, 24.) Si quis nostram requirat sententiam, nos quidem libenter concedimus, imo contendimus, in loco Paulino (ad Romanos c. I, 3. 4.) hanc omnino esse vim vocabulorum *caro* et *spiritus*, quam interpretes modo laudari dicunt. Non solum enim totius orationis et cohaerentia et argumentum illud satis declarant: verum etiam apostolus ipse, quid verbis illis nos edocere voluerit, demonstraturus, alio loco (cap. scilicet VIII, 5.) hunc in modum sententiam suam interpretatur; *Christus*, inquit, *ex Iudaeis est secundum carnem, qui est Deus super omnia, laudatus in omnem aeternitatem*. Quem igitur (c. I.) nomi-

nomi-

ominauerat *filium Dei secundum spiritum sanctimoniae*; illi
 n(c. VIII.) appellat *Deum super omnia*; summam atque sempiter-
 nam Seruatoris diuinitatem clarissime hoc modo testatam faciens,
 nosque docens, Iesum non esse *Deum demum factum*, nec nomine
 filii Dei appellari, propter tributam ei per exaltationis statum prae-
 stantiam singularem, vt certae errantium familiae impie nugantur;
 sed propterea et esse et dici Deum ac filium Dei, quod vnus eius-
 demque, quam pater habet, summae, perfectissimae ac spiritualis
 naturae diuinae ab omni aeternitate vere fuerit particeps. Sicuti
 ergo haec clara sunt et plane inconcussa: ita illud ex iis consequi-
 tur, vocabula *caro* et *spiritus* posse ad naturam vtramque
 Christi significandam. Interim tamen, nostra quidem sententia,
 ex eo nondum conficitur, vocabulis his in reliquis locis omnibus,
 vbi de Christo sermo est, eandem plane notionem esse subiectam.
 Cum enim id extra omnem controuersiam sit positum, haec ipsa ver-
 ba *caro* et *spiritus*, etiam in Christo posita, nonnunquam aliam vim
 habere, vt ex dicendis constabit: facile ex eo apparet, in singulis
 locis interpretandis sollicite dispiciendum esse, quae vocabulorum
caro et *spiritus* notio reliquae scriptorum sacrorum orationi et
 consilio sit maxime consentanea.

Faciamus huius rei periculum in loco (1 Tim. III, 16.) vbi apo-
 stolus, *Deus manifestatus est*, inquit, *in carne, iustificatus in spi-
 ritu*. *Carnem* hic rursus appellat apostolus de Christo agens.
 Ad naturam eius humanam hoc vocabulum hoc in loco pertinere,
 certissimum est, nec tamen simpliciter et in quouis statu spectatam;
 sed quatenus in statu humili, imbecillo ac mortali fuit collocata, di-
 misso ad tempus vsu pleno ac liberrimo maiestatis diuinae, cum
 ipsa omnino propter arctissimam cum diuina natura societatem
 communicatae. Nec enim, quantum nos videmus, inuenietur fa-
 cile locus in N. T. scriptis, vbi humana Christi natura, ex statu il-
 lius praesenti ac glorioso spectata, *caro* appelletur. Verbum enim
caro in sacris litteris, etiam si in Christo ponitur, simul aliquid in-
 firmi indicat, quod in statum Seruatoris gloriosum plane non cadere
 in aprico est. (cf. 1 Petr. III, 1 Ebr. II, 14. c. V, 7.) Sententia igitur
 verborum apostoli haec erit: *Deus manifestatus est in carne* i. e. *in
 natura humana sibi intime coniuncta, attamen in statu humili, imbe-
 cillo*

*illo ac mortali ad tempus collocata, quae submissio naturae humanae, ipsius Dei, ope vinculi personalis, propriae factae, nomen profecto magni mysterii praecipue meretur. Licer enim illud iam mysterii satis plenum sit, quod Deus homo factus est: maiore tamen adhuc admiratione venerandum est, quod Christus, quae homo in forma Dei (b) existens, ut Paulus alibi loquitur (Phil. II, 6. 7.) se ipsum ad tempus exinanivit et submisit, forma quoque serui assumpta. Hic status exinanitionis, imbecillitatis ac mortalitatis humanae naturae Christi maximae olim hominibus offensionis maximoque simul impedimento fuerat, quo minus intelligi aut credi vilo modo posse putarent, huiusmodi hominem mortalem, humilem, cum tot malis conflantem, eademque, quae aliis mortalibus data est, sorte videntem, simul tamen esse filium Dei ac patri plane parem (cf. Ies. LIII. Matth. XXVI, 63. sq. Io. V, 18.) His ita constitutis, facile iam erit ad intelligendum, quid sibi velint verba Pauli, *iustificatus est in spiritu*. Quod si statuas, vocabulum *spiritus* significare hic diuinam Iesu naturam per se, totum apostoli enuntiaturum ita se habebit, *Deus iustificatus est in diuina natura* i. e. ut interpretes ita sentientes explicare coguntur, *Deus probatus est Deus**

- (b) Magna videtur inter hunc locum epistolae ad Philipenses, et locum I Tim. III, 16. conuenientia esse. Verba enim *μορφῇ Θεοῦ* non satis commode ipsam diuinam naturam Christi per se significare possunt: quoniam apostolus statim subiicit, Christum se illa ad tempus abdicasse; id quod de diuina Christi natura per se dici nequit, nisi perperam quis statuere velit, vinculum *unionis personalis* in statu exinanitionis fuisse solutum. *Μορφῇ Θεοῦ* ergo significat potius statum humanae naturae gloriosum, maiestatis vere diuinae et quidem emicantis plenum, quam Christus non solum propter vinculum vtriusque naturae personale semper habuit, sed qua etiam semper sine intermissione uti potuisset, et quidem optimo iure; nisi salutis nostrae restitutio dimissionem vsus pleni maiestatis illius ad tempus postulasset. Confirmatur id verbis oppositis, *μορφῇ δούλου*, i. *forma serui*, quam Christus summisit dicitur. Haec enim forma serui neutiquam potest ipsam naturam humanam per se significare: quoniam per statum exaltationis rursus deposita est, cum ipsa humana natura per se in Christo manserit. Significabit ergo *μορφῇ δούλου* conditionem modo humilem et afflictam naturae humanae ad tempus durantem. Sicut vero *μορφῇ Θεοῦ* ponit tamen pro certo, veram naturam humanam in Christo fuisse: ita non minus *μορφῇ Θεοῦ*, in qua Christus, etiam quatenus homo fuit, semper se ostendere potuisset, ponit pro certo, veram ac summam naturam diuinam in Christo fuisse, et quidem cum humana vinculo unionis personalis coniunctam.

Deus per diuinam naturam; cuiusmodi effatum, nisi nos omnia fallunt, aliquid inconcinni habet, ac plane ab usu loquendi et populari et sacro abhorret. Quae cum ita sint, satius nobis videtur, vocabulo *πνευμα* aliam hoc loco notionem subiectam existimare, quam ex contrario *carnis* vocabulo intelligere, non admodum difficile est. Sicut enim *caro* conditionem humanae naturae humilem, infirmam ac mortalem significat: ita vocabulo *πνευμα* per rationem contrariam conditionem *eiusdem naturae* gloriosam, potentem, immortalem ac beatissimam, quae ipsi per exaltationem contigit, significari necesse est. Nam ut *caro* simul imbecillitatem naturae alicuius, ita *spiritus*, inprimis *carni* oppositus, haud raro vim, potentiam, gloriam, immutabilitatem illius simul indicat. (cf. Ies. XXXI, 3. 1 Cor. XV, 44.) Quod si ergo hacenus exposita, in vnum collata, sub vnum adspectum subiici oporteat; sententiam apostoli breuiter et perspicue his verbis comprehendere et exprimere licebit: *Deus manifestatus est in carne i. e. Deus in statu humanae naturae humili, imbecillo ac mortali ad tempus inter mortales conspectus ac versatus, eamque ob causam a multis non is iudicatus aut creditus est, qui tamen re vera erat: sed iustificatus est in spiritu, i. e. probatus est re vera is, qui fuit, et quem se esse dictitauit, in statu illo naturae humanae glorioso, immortalis ac potenti, in quo per exaltationem est collocatus.* Ita explicata apostoli sententia non solum vera est, sed etiam, ni fallimur, plana, concinna et bene cohaerens efficitur. (c) Conuenit sane haec interpretatio rei ipsi, simulque etiam aliis sacrarum litterarum effatis egregie consentanea est, in quibus nihil frequentius occurrit, quam ut summa atque aeterna Iesu Christi diuinitas ex reditu illius in vitam totaque consecuta naturae humanae gloriosa conditione probetur. (conf. Matth.

- (c) Sunt, qui verbis, *πνευματι*, ipsum *Spiritum sanctum*, tertiam diuinitatis personam, signari, ac proinde hoc sibi velle apostolum existiment, *Deus iustificatus est in Spiritu*, i. e. per ea, quae fecit virtute diuina *Spiritus S. in ipso habitantis*, quae tamen virtus etiam ipsius *Servatoris* fuerit propria. Quam sententiam ut obtineant, conferri iubent Lucae XI, 20. Ita praeter alios rem quoque explicat GEORGIUS GUSTAVUS ZELTNERUS in praeclearo alioquin opere *histor. Crypto-Socinismi Altdorphini. C. III. S. II. §. XXXV. p. 576. not. (b)* At durior videtur haec sententia, quam ut nobis probetur.

Matth. XXVI, 63 (qq. Rom. I, 3. 4. Ebr. II, 3.) Nec enim per summam naturae diuinæ vnus numero atque indiuiduae simplicitatem vilo modo fieri potuisset, vt humana Christi natura diuinæ naturæ gloria decoraretur, nisi ipsa illa natura diuina summa atque aeterna simul in Christo fuisset, cuius illa gloria ab omni aeternitate et ante mundum conditum propria fuerat. (Io. XVII, 5.)

Iam redeamus ad locum, quem tractamus, Petrinum, et videamus, quid ambigua vocabula *carnis* et *spiritus* ex apostoli sententia in illo significant. Plurimi quidem interpretes verbo *σὰρξ* totam Christi humanam naturam dici arbitrantur: quoniam diuinam verbo *πνεῦμα* signari, plane sibi persuasum habent. Nos ordine acturi, primo sententiam de vera notione vocabuli *caro* dicemus. Censem igitur, apostolum verbo *caro* alteram modo partem humanæ Christi naturæ, *corpus* videlicet, et quidem in statu imbecillo ac mortali spectatum, dicere voluisse. Vocabulo *carnis* hanc notionem in scriptis sacris saepius subiici, nemo inficias ire potest, qui clarissima verba Pauli (2 Cor. III, 10. 11.) cogitauerit, in quibus vocabula *caro* et *corpus* aperte, tamquam eandem rem significantia, ab apostolo permutantur. Indicant etiam ac confirmant parem eandemque vtriusque vocabuli vim obuiam apud apostolos loquendi formulae, *in carne esse, manere, in corpore esse* (Phil. I, 22-24. 2 Cor. V, 6-8. 2 Petr. I, 13.) In his enim locis omnibus corpus aperte spectatur vt domicilium animæ, quæ tum libera et soluta dicitur, si ex mortali corpore excesserit. Verum hæc non diutius nos morabuntur: sunt enim adeo perspicua, vt si quis quid contra dicere velit, veritas vel nobis absentibus se ipsa defendat. Nil ergo restat, quam vt approbemus, vocabulum *σὰρξ*, etiam in Christo positum, proprie corpus illius significare; id quod ex (Io. V, 51. sqq. 1 Io. III, 2.) euidentissime apparere, longe certissimum est. Nostro vero loco hæc ipsa vocabuli notio, etiam propter adiectum verbum *θανάτωδεις* maxime consentanea est: occisio enim in corpore tantum proprie valet, vt ipse Seruator adfirmat (Matth. X, 28.) *ne timeatis, inquiens, ab iis, qui corpus tantum occidere valent, animum vero occidere non possunt.* Quæ dum dicimus, nolumus quenquam in eam sententiam venire, nos adeo hebetes esse, vt negemus, totum Christum dici posse occisum:

sum. Ecquis enim tam hospes in sacris litteris, tam rudis rerum omnium est, quin sciat, de toto homine nihilominus dici solere, quae tantum proprie in altera illius parte valent? Hoc est, quod volumus, occisionem proprie et per se, ad corpus tantum pertinere: ideoque nihil ob stare, quo minus saltem interdum, si cetera non refragentur, ad illud etiam solum referatur. Sententia ergo apostoli, si hactenus dicta vno quasi obtutu peruidere velis, haec erit: *Christus interemptus est carne i. e. morte adfectus, quod ad corpus mortale et infirmum attinet.* Quae verborum sententia perspicua est, verbisque nullam plane vim adfert.

Progredimur ergo iam ad illud, quod rem causamque maxime continet, inquisituri in veram notionem vocabuli *πνευμα*, *carnis* vocabulo hic quoque oppositi. Plurimi interpretes etiam hoc loco diuinam Christi naturam vocabulo *πνευμα* appellari contendunt, et apostolum ita sentientem faciunt: *Christus vita donatus est Spiritu i. e. Christus ab inferis excitatus est per Spiritum, siue per vim et efficientiam diuinæ naturæ omnia efficere valentis.* Sed liceat nobis, pace summorum virorum, causas in medium proferre, quae nobis impedimento sunt, quo minus hac in re illorum sectam et auctoritatem sequamur. Primo monet nos, quod, quantum ad verba ipsa attinet, interesse aliquid videmus inter hoc dictum ac reliqua, in quibus vocabula *carnis* et *spiritus* in Christo dicuntur. Nam in loco (Rom. I, 4.) non leguntur nuda verba *σαρκι* et *πνευματι*, sed *κατα σαρκα* et *κατα πνευμα αγιωσυνης*: in loco autem altero (1 Tim. III, 16.) praeponit apostolus vtrique vocabulo praepositionem *εν*. Petrus vero simpliciter dicit *σαρκι*, *πνευματι*, sine praepositionis accessione; cuius praetermissio nobis non videtur nullam plane causam, sed potius vim aliquam habere ad persuadendum, Petrum vocabulis *caro* et *spiritus* aliud quid dicere voluisse, quam in locis reliquis modo prolatis dicitur. Altera et quidem longe grauior difficultas, peruagatam interpretationem sententiam premens, in eo posita est, quod coguntur, vocabulum *πνευματι*, ad diuinam Iesu naturam ex illorum opinione pertinens, ita interpretari, ut hic causam efficientem restitutionis Christi in vitam significet. Quod nobis duplici de causa nullo modo probatur: primo enim obstat nobis aperta vocabulorum *carnis*

et *spiritus* in vna eademque sententia cohaerente oppositio; quae secundum bonae interpretationis leges vetat statuere, vocabulo *πνεύματι* causam efficientem hic significari; cum illud idem in opposito vocabulo *σὰρξ* nullo modo locum habere possit, nisi apostolum id dicentem facere velis, Christum per *carnem* suam tamquam causam efficientem fuisse occisum, in quam absurdam opinionem nemo sanus incidet. Deinde, si Petrus ea, quae interpretes putant, dicere voluisset, nobis verisimile non videtur, eum praepositionem aliquam, *ἐν* videlicet vel potius *διὰ*, vocabulo *πνεύματι* aut *πνεύματος* praeponendam, facile praetermissurum fuisse: quippe quarum altera admodum necessaria fuisset, si nobis certo constare debuisset, vocabulo *πνεύμα*, in tali maxime oppositione, causam efficientem reditus Christi in vitam significari debere. Tertium, quod nos impedit, quo minus communi sententiae accedamus, in eo ponitur, quod Petrus statim subiicit, *ἐν ᾧ καὶ, in quo etiam* cet. Verba *ἐν ᾧ* coniungenda esse cum vocabulo *πνεύματι*, apud plurimos saltem interpretes in confesso est. Quod si ergo vulgarem sententiam sequamur, simulque vsitam praepositionis *ἐν* potestatem retineamus, apostolus hoc adfirmabit: *Christum respectu solius naturae diuinae ad spiritus in carcere profectum esse*. Quod cum ipsis illis interpretibus vehementer displiceat, et omnino ab omni verisimilitudine abhorreat, eo confugere coguntur, vt dicant; praepositionem *ἐν* hic idem significare ac *διὰ*, ac proinde sententiam hanc esse: *Christus in eo spiritu, i. e. per vim et efficientiam naturae diuinae profectus est* cet. Licet igitur nos non fugiat, praepositionem *ἐν* interdum hanc vim habere, et pro *διὰ* poni: attamen nec illud nos fugit, illas verborum explicationes, si modo cetera etiam sint paria, semper praestare, quae ab vsitata verborum potestate non facile recedunt: id quod hoc loco eo minus fieri debet, quoniam idem in verbis *ἐν σὰρξ* nullo modo locum habere potest, vt supra iam ostendimus. Quarto denique obstat nobis aperta conuenientia huius loci cum alio, in eadem hac epistola occurrente. (c. IIII, 6.) Vtriusque effari similitudo tanta est, ni fallimur, vt nemo facile negare possit, apostolum ea, quae (c. IIII, 6.) leguntur, scribentem, plane animos nostros cogitationemque ad superiora (c. III, 18.) scripta reuocare, eoque ipso nos monere voluisse, vt ex diligenti vtriusque loci collatione de vera sententia vocabulorum

lorum *σῶμα* et *πνεύματι* iudicaremur. Ita vero loquitur apostolus
 (c. III, 6.) *in hoc etiam mortuis nunciatum est euangelium, ut iu-*
dicarentur, quod ad homines attinet, carne, viuerent vero, quod ad
Deum attinet, spiritu. Docet profecto his verbis Petrus, simili-
 tudinem intercedere inter fara Christi ac Christianorum, cum in
 hac vita, siue quoad *in carne* viuunt, tum post illam, postquam ex
 corpore excesserunt. Illam vero similitudinem in eo ponit scri-
 ptor diuinus, quod euangelium eo consilio nuncietur, mortuisque
 iam in Domino olim quoque nunciatum fuerit, ut Seruatori dicto
 audientes iudicarentur *carne*, i. e. variis calamitatibus, quoad *in*
carne viuunt, adficerentur, quibus *cavo* siue *corpus*, vel ut Paulus
 in simili plane loco loquitur (2 Cor. III, 16. coll. Rom. VIII, 36.
 1 Cor. XI, 31. 32. c. XV, 31.) *homo exterior*, interiori manifeste oppo-
 situs, *sensim atteritur, atque ad mortem*, quae illi tandem interitum
 adfert, *magis magisque lento quasi supplicio praeparatur.* Id vero
 licet durius primo ad speciem videri cuiquam posset, optimo tamen
 consilio atque euentu fieri, et nunquam non factum esse, adfirmat
 apostolus, subiiciens, ut viuerent *spiritu*, quod ad Deum attinet,
 i. e. *ut beati fiant et fierent, quantum ad spiritum siue animam,*
 quam Paulus loco supra laudato *hominem interiorem* appellat:
 quoniam anima in hac calamitatum via ornatur et augetur bonis
 ac muneribus diuinis, simulque etiam praeparatur, ut seiuncta a
 corporis societate statim in arctissimam societatem Dei veniat, illo-
 que fruendo vitam beatissimam adipiscatur. (conf. Phil. I, 23. 2 Cor.
 V, 8.) Similitudo ergo perfecta huius loci cum eo, quem tractat ora-
 tio nostra, plane postulare videtur, ut vocabulum *πνεύματι*, in
 Christo positum, tale quid significet, quod ipsi cum fidelibus commu-
 ne sit: quod cum de diuina illius natura nullo modo dici queat,
 ipsi quippe soli propria, nihil sane relinquitur, quam ut dicamus,
 vocabulum *πνεύματι* (c. III.) in Christo positum, alteram naturae hu-
 manae partem, animam videlicet illius, significare. Sic ergo lecto-
 ribus de nostra quoque sententia constat, quam tamen paullulum
 adhuc illustrandam confirmandamque esse existimamus.

Censemus itaque, vocabulum *πνεύμα* dicere hoc loco *animam*
 Christi, et quidem morte a corporis societate seiunctam, siue solu-
 tam et liberam. Animam hominis in sacris litteris frequenter *spi-*
ritura

ritum appellari probatione non eget, cum nemo de eo dubitare queat. In primis vero in N. T. scriptis tum hoc nomine appellatur, si aut a corporis societate iam seiuncta est, aut si tempus adest, ut seiungatur. Illud apparet ex (Ebr. XII, 23. coll. Eccles. XII, 7.) ubi apostolus commemorat πνεύματα δικαίων τετελειωμένων *s. spiritus iustorum perfectorum*, in gloriosa ciuitate Dei cum Deo et Christo veram vitam iam viuentium: hoc vero ipsius Christi exemplo et oratione approbatur, qui morti proximus, *in manus tuas*, inquit, *Pater trado spiritum meum*; qua precatione, paullulum modo mutata, Stephanus quoque iam iam moriturus vsus legitur, magna quippe voce exclamans, *Domine Iesu, recipe ad te spiritum meum*. Forte etiam apostolus noster, haec scribens, in animo habuit verba Seruatoris, sibi ipsi ac condiscipulis olim dicta (Matth. XXVI, 41.) *spiritus quidem voluntarius est, caro vero infirma*. Nam etiam hic σαρκὶ commodissime corpus imbecillum, graue, ac facile somno, noctu praesertim, opprimendum significare potest: et tum πνεῦμα *animum* dicet apostolorum, satis profecto bonum ac Seruatori optimo vere addictum, cuius vero vis, corpore tum languesciente, non satis vigeat. Denique etiam ad confirmandam sententiam nostram accedit apertus, ni fallimur, in oratione apostoli verborum πνεύματι c. 18. et πνεύμασι c. 19., respectus mutus. Cum enim, ut infra docebimus, πνεύμασι c. 19., sint animae hominum, corporibus solutae, quibuscum Christus, ad eos profectus, egit: nihil sane conuenientius est et aptius, quam credere, vocabulum πνεύματι c. 18. in Christo positum, pariter *animam eius, corpore solutam*, in oratione tam arcte cohaerente signare; ut doceremur, Iesum in statu animae solutae ac liberae egisse cum spiritibus hominum, eodem in statu tum collocatorum.

Sed ne quid dissimulemus, magna hic oriri difficultas videtur ex vocabulo ζωοποιήσεις: Petrus enim scribit; *vita donatus est spiritu*. Quomodo vero, inquit, spiritus Christi immortalis vita potuit donari, quam sane morte corporis non plus amiserat, quam nostrae animae amittunt. Et sane verbum ζωοποιήσεις sine dubio fuit in causa, cur interpretes de reuocatione corporis Iesu in vitam hic necessario cogitandum esse iudicauerint, quoniam in corpus solum vitae restitutio cadit. Verum enim vero flucrus
in

in simpulo hic excitantur. Primo enim merito observamus, Petrum, crebro in hac epistola de restitutione corporis Christi loquentem, nunquam vti vocabulo ζωοποιεῖν, sicut etiam aliis in locis non facile de ea usurpatum legas: (d) nisi forte verba Pauli (Ephes. II, 5. coll. Col. II, 13.) nobis opponas, vbi apostolus, *Deus vos*, inquit, *συνεζωοποίησε* s. *vna cum Christo vita donavit*, et *συνήγειρε* s. *vna excitavit*. Verum tantum abest, ut hic locus nobis cum specie veri opponi possit, ut potius praesidia nostra confirmet. Nam apostolus hic το ζωοποιεῖν aperte distinguit a τῷ ἐγείρειν, atque adeo duobus distinctis verbis ponendis, duas quoque distinctas res significare voluisse videtur. Ζωοποίησις videlicet ut alibi, ita etiam hic pertinet omnino ad animas fidelium, quae, cum Christo per fidem coniunctae, primo iam in hac vita vi, vigore ac vita spiritali, deinde vero a corpore seiunctae continuo vita beata in coelo donantur. Et tum sequitur denique die nouissimo, ut, quod ad corpora attinet, pariter cum Christo excitentur, et integri in statu coelesti collocentur: de quibus euentis, licet adhuc futuris, apostolus tamen tamquam praeteritis loquitur, more in sacris litteris vñtissimo, ad certam rei fidem hoc orationis genere nobis significandam. Quo igitur ortam ex vocabulo ζωοποιήσεις difficultatem plane tollamus, observari volumus, vitam in sacris litteris frequentissime significare non vitam per se, sed conditionem certam vitae et quidem beatam, laetam, felicem, vel in terris vel inter coelites contingentem: sicuti contra infelix animae, a beata societate Dei seiunctae, conditio, cum in hac vita, tum post illam, mors appellatur. Quid notius ac magis tritum est, quam statum illum felicissimum in quo beati collocantur in coelo, vitae aeternae nomine appellari? Sic quoque Servator adfirmat (Io. V, 29.) iustos prodituros ad ἀνάστασιν vitae, impios vero ad ἀνάστασιν κρίσεως. Κρίσις hic sine dubio significat statum damnationis infelicem: corporis vero in vitam restitutio vñce continetur ac signatur vocabulo ἀνάστασις, quod etiam

(d) Alia ratio est eorum locorum, in quibus de restitutione corporum gloriosorum, fidelibus promissa, sermo est; in quibus verbum ζωοποιεῖν saepius usurpatur. Expendi etiam velimus locum Paulinum Rom. VIII, 10. 11. vbi apostolus pariter ζῶν vitam primo ad spiritum fidelium, corpori oppositum, refert; deinde c. 11. ad corporum in vitam restitutionem demum progreditur.

etiam ex sexcentis aliis locis probari potest. Vocabulum *ἡμεῖς*, vocabulo *ὑμεῖς* oppositum, vi rationis contrariae, significabit vnice statum iustorum felicem, corporum restitutione verbo *ἀναστῆς* iam satis significata. Quae hactenus dicta si transferantur ad locum Petrinum, sententia verborum apostoli hoc pacto explicabitur: *Christus, occiso corpore, quod ad Spiritum attinet, ex templo vita illa beatissima ac plane gloriosa donatus est.* Et quis sane de re ipsa cum ratione dubitare posset, statum exaltationis Christi, quantum ad animam, statim coepisse, postquam haec corporis vinculis esset liberata? (e) Cogit illud dicere traditio spiritus in manus patris, cogit fateri promissa latroni respicienti translatio animae illo ipso die in paradysum, locum profecto plane gloriosum ac beatum, cuius descriptio alibi obuia tristitiae et imbecillitati nullum amplius locum relinquit. (conf. 2 Cor. XII, 4. Apoc. II, 7.) Quod vero animae latronis contigit, negare animae Christi contigisse, nobis certe nihil aliud videretur esse, quam cum ratione insanire. Debuit etiam haec plane vitalis et beata conditio animae Iesu, liberationem illius a corpore illico consecuta, certissimo argumento esse, animas quoque fidelium solutas confestim ad Deum venire, vitaeque beatissima frui. (f)

Sed satis diu nos tenuit haec disputatio: progrediendum nunc est ad reliquas orationis nostrae partes, breuibis iam expediendas. Disquirendum itaque est *secundo loco*, quinam sint *illi spiritus aliquando non credentes tempore Noae*, quos Petrus commemorat: qua de re pariter magna sententiarum discrepantia est, id quod nemo magnopere mirabitur, qui secum reputauerit, nihil quidquam amplius huic effato simile in sacris litteris legi.

Primo

(e) In ipsa quoque sepultura Christi, ad corpus exanime solum pertinente, iam aliquid gloriosi fuisse nonnulli obseruant; nec sane sine causa. Vt enim taceamus, quod omnis putredinis ac vitii manserit expertus, ad honorem sane ac gloriam Seruatoris id quoque pertinet, quod corpus, a viris amplissimis ac magna dignitate praeditis de cruce detractum, more recepto compositum et conditum, atque ita in sepulchro nouo conditum fuerit. conf. elegans Reu. EBERH. DAVID. HAYBERI libellus germanice scriptus *de sepultura Christi*, *Lemgoviae* 1739.

(f) Similia, nec tamen omni ex parte dictis a nobis consentanea, habet IO. LIGHTFOOTVS in dissert. *de descensu Christi ad inferos* Opp. T. I. p. 759. cet.

Primo igitur, vt a refutando incipiamus, illorum sententiam plane repudiandam censemus, qui vocabulo *πνευμασι* angelos, siue malos siue bonos, signari sibi persuadent. Tam aperte haec repugnant apostoli orationi, vt mirum sit, adeo aperte falsa cuiquam probari potuisse. Nec minus repudiati a nobis improbatique discedent, qui *πνευματα* siue *spiritus in carcere* nominari arbitrantur homines, scribente haec apostolo, adhuc in terris viuentes, impios scilicet et a Christo alienos: quos quidem satis commodè *spiritus in carcere detentos* appellari credunt, quoniam prauarum opinionum, viriorum ac scelerum immanium vinculis fuerint constricti. Nam primo haec sententia effici ex verbis non potest, nisi totius orationis Petrinae consecutio et ordo perturbetur. Quamobrem etiam illi, quos notamus, interpretes, vt suam sententiam minime verisimilem obtineant, in ipsa scriptura nonnulla mutare coguntur, quod quam periculosum sit, si cui-libet ad arbitrium suum id facere liceat, vel nobis non monentibus nemo non videt. Deinde durum valde est, et plane ab omni vsu popularis non minus, quam sacri sermonis abhorret, homines in terris adhuc viuentes simpliciter *πνευματα* appellari. Nec inuat hos auctores latebra, in quam se coniiciunt, caussantes, appellari tamen huiusmodi homines in eadem oratione Petrina (c. 20.) *ψυχας* s. *animas*. Nam licet vocabulum *ψυχη* haud raro, in primis in scriptis V. T. in eam sententiam accipiatur, vt totum hominem signet: longe tamen alia ratio est vocabulorum *רוח* et *πνευμα*, de quibus illud plane non valet. His ergo sententiis non immerito, vt putamus, repudiatis, nihil aliud superest, quam vt nomine *πνευμασι* animas, a corporum societate seiunctas, venire dicamus, et quidem hominum illorum, qui tempore Noae, dictis diuinis fidem non habentes, misere in vndis perierunt. Has apostolus, Christo ad illos proficiscente, in carcere fuisse dicit. Carcerem quidem hunc non describit copiosius: durum vero, tristem et plane infelicem locum fuisse, non est quod dubitemus. Vnum adhuc restat, de quo breuiter dispiciendum est. Quaeritur videlicet, vtrum Christus cum his spiritibus solis, an etiam cum reliquis infelicibus spiritibus humanis, imo cum ipsis etiam angelis malis egerit. Haud pauci interpretes posterius adfirmant, existimantes, apostolum orationis genere non

C

inusi-

inuisitato partem aliquam infeliciū spirituum pro vniuerso illorum genere appellasse: in primis verò hæc interpretatio illis probatur, qui recepram de descensu Christi ad inferos sententiam tenent ac tuentur. (g) Nostram sententiam si quis roget, haud dissimulamus, hanc interpretationem, cuius tuendae causâ ad tropum confugiendum, nobis hoc quidem in loco non placere: non quo negemus, id sæpius in scriptis sacris vñ venire, vt pars siue species aliqua rerum pro vniuerso earum genere ponatur; sed quoniam alia ratio nos ad id hoc loco concedendum illiberales facit. Haber videlicet hic locus nullum alium sui similem, ex cuius comparatione cum aliqua verisimilitudine aliquid duci possit, quod fidem faciat, verba apostoli necessario latius patere debere, quam vñitata illorum potestas permittit. Hinc etiam videas, interpretes non nisi coniecturis rem suam agere, et tandem nihil aliud proferre, quo opinionem suam verisimilem efficere laborent, quam quod causas se perspicere negant, cur Christus cum aliqua modo parte spirituum infeliciū egerit, cuius rei causas ne nos quidem perspicere fatemur. Sed hæc difficultas ad confessionem quidem ignorationis multorum, quæ in mundo illo spirituum geruntur, nos merito adducere, nondum autem sola id efficere valet, vt oratione apostoli omnes spiritus infelices comprehendamus, cum ipse modo certam illorum partem tam distincte definiteque designet. (h)

Tertium nunc sequitur disputationis nostræ caput, necessitatem nobis imponens constituendi, *quo in statu et quo tempore* Christi

(g) Quæ recentiori ætate de descensu Christi ad inferos etiam inter nostros, ad modum ea de re dissidentes, disputata sunt, hic attingere instituti nostri ratio non patitur. Conf. Ven. IO. GEORGIUS WALCHIVS in *introd. in LL. symb. L. I. c. VII. §. XXIII. p. 845.* et CHRIST. EBERHAR. WEISMANNVS *H. E. N. T. Sec. XVII. §. XXXVII. p. 1085. sqq.*

(h) Recte nobis huc quoque transferri posse videntur verba Vener. I. A. BENGELII ad c. 19. ita scribentis in *Gnom. p. 1017.* *In loco mysterii pleno non debemus proprietatem sermonis ex eo dimittere, quod non habeat parallelos. Nam ii. quibus mysterium quoduis primo reuelatum est, etiam sine locis parallelis verbo Dei generosissime credidere. v. g. illud, hoc est corpus meum, non nisi semel dixit. Seruator. Mysterium de mutatione viuientium semel scriptum est.*

Christus ad spiritus illos sit profectus. Quod ergo ad primum attinet, apostolus dicit *εν ω και πορευθεις*, in quo etiam profectus praedicavit. Ex superioribus iam satis constare potest, quid nobis in interpretatione verborum *εν ω* aut probeatur aut improbetur. Verba *εν ω* nimirum respiciunt vocabulum *πνευματι*, quod convenientissimum ac simplicissimum esse, nemo, credimus, negabit. Hoc ergo constituto, haec apostoli sententia planissime erit; *in quo spiritu* i. e. *in statu animae solutae ac liberae Christus eo profectus est*. Dominus ergo, nostra quidem sententia, illa, quae hic ab eo facta legimus, ante peregit, quam corpus, in conditorio interim quiescens, vitae restitutum est. Quae interpretatio, ni fallimur, omnium simplicissima est: verbis enim nullam vim adfert, nec ab usitata illorum potestate recedit, nec denique quidquam continet, quod consensui ac concentui reliquarum doctrinarum (quam *fidei analogiam* theologi artis vocabulo appellant,) repugnaret. Fac ergo eam etiam minus veram esse, invidiosa tamen certe esse non debet. Quod si etiam auctoritates quis requirat, licet non auctoritatibus maxime, sed rationibus in eligenda sententia duci oporteat, exploratum plane est, veteres tantum non omnes, et quidem Ps. XVI. maxime adductos, vel potius falsa illius interpretatione deceptos, censuisse, animam tantum Christi solutam ac liberam ad inferos fuisse profectam, eo quidem ex falsa illorum opinione consilio, ut aliquos adhuc cruciatus ibidem sustineret: (i) quos deinde scholastici doctores certatim sequuti sunt. Necaequum esset, pontificiorum consensione obiecta, interpretationi nostrae invidiam conflare velle. Falsum enim est, nostram sententiam cum tota illorum sententia convenire. Illi enim causam profectionis animae Christi falsam fingunt, quae nec ex hoc nec ex aliis locis ullo modo probari, quin potius ex hoc ipso loco refutari potest. Quod ergo pontificii sententia de profectione animae Iesu abutuntur, impedire nec potest nec debet, quo minus nos illa recte utamur. Sicut enim bona per se monent, quae etiam a malis bene fiunt: ita non minus vera per se manere existimamus, quae, ab errantibus ceteroquin, ex parte vere ac recte dicuntur. Liberum interim lectorum de tota re et intè-

C 2

grum

(i) Conf. quae eam in rem congescit Ven. WALCHIVS l. supra c. p. 102. sq. et p. 843. 844.

grum iudicium relinquimus; nec a nobis dissentientes aegre ferimus. Cum enim nos ipsi contra aliorum sententias, non sane pertinacia aut studio vincendi, sed veri constituendi cupiditate, modeste disputauerimus: non possumus sane, quin alii quoque a nobis dissentiant, recusare. Superest, vt disquiramus in hac orationis nostrae parte, quo tempore Christus *in spiritu* ad illos *spiritus in carcere* profectus sit; id quod vel nobis tacentibus ex hactenus dictis per se iam apparet. Incidere nimirum oportet hanc profectionem in triduum illud, quo Christi corpus exanime, in sepulcro conditum omnisque putredinis expers, quieuit. Punctum vero temporis accuratius definire quis audeat? aut quem proinde fateri pudeat, ea se nescire, quae nescit? quae tamen nescire turpe non est, quia optimus magister nesciri voluit. Ante vero quam progrediamur, non possumus non significare, quantopere nobis displiceat eorum interpretatio, qui apostoli sententiam hanc fuisse comminiscuntur: Christum scilicet, quantum ad diuinam naturam, olim iam Noae aetate profectam esse ad homines, illa aetate in terris vitam agentes, atque improbos illos per Noam redarguisse ac praemonuisse. Recte contra hanc verborum interpretationem, non vno nomine reprehendendam, disputant viri doctissimi: licet haud paucis se probauerit interpretibus, difficultates orationis Perrinae facillime hoc modo expediri posse ratis. Nam si apostolus in dicto nostro de profectione Christi ad homines, Noae aetates viuentes, loqui voluisset: credibile omnino est, hos eum homines non descripturum fuisse vt *πνεύματα εν φυλακη απειθισαυτα ποτε*. Quid enim hoc aliud fuisset, quam sententiam suam quasi consulto tenebris inuoluere et aenigmata loqui? Deinde si apostolus id, quod illi volunt, significare voluisset, vocabulum *ποτε* sine dubio non cum verbo *απειθισαυσι*, sed cum verbis *πορευθεις εκηρυξεν* coniunxisset: id quod omnino necessarium fuisset, si nobis de sententia illius recte constare debuisset.

Restat *quarta* et vltima disputationis nostrae pars, quae *praeconium a Christo in carcere factum* breuiter nos attingere iubet. Apostolus ergo simpliciter dicit, *profectus praedicauit spiritibus*, de ipso orationis argumento plane nos suspensos incertosque relinquens.

linquens. Quod silentium interpretes mirifice exercuit, cupiditatemque multorum eo magis inflammavit, ea cognoscendi ac definiendi, quae Christus ibi locutus sit. Qui vulgarem de descensu Christi ad inferos sententiam tuentur, quod deest in oratione apostoli ita suppleant, ut dicant, Christum toti et angelorum et hominum damnatorum gregi terrificis vocibus denuntiassse, se victorem regni tenebrarum et esse et permanfurum esse in omnem aeternitatem. Licet igitur res ipsa, quam hoc praeconio expressam fuisse dicunt, per se verissima sit: nos tamen, quod ad argumentum attinet, malumus assensionem nostram propter rei obscuritatem et silentium apostoli sustinere, quam coniecturis indulgere: id nobis persuasum habentes, hanc assensionis retentionem iusta reprehensione vacare: nihil enim aliud facimus, quam quod nobis iudicium definiendae rei non sumimus, quam Spiritus Christi eloqui ac definire noluit, secus profecto facturum, si nobis cognitionem illius aut necessariam aut utilem iudicasset. Non est igitur, quod plura addamus, sed concludere tandem aliquando licebit orationem nostram, si modo hoc vnum adhuc monuerimus, falli omnes illos magnopere, atque in ingenti errore versari, qui ex hoc oraculo nescio quem *limbum*, aut *purgatorium*, ut barbaram rem barbaro vocabulo appellant, aut *restitutionem omnium damnatorum* probare instituunt. De his enim apostolus non solum disertis verbis nihil plane adfirmat, sed etiam per ratiocinationem iustam ex verbis eius confici plane non potest, quod illi, quos notamus, auctores volunt. Ut taceamus in praesenti, opiniones illas, quas multi adeo adamarunt, magnoque etiam cum strepitu defendere et ornare laborarunt, multis aliis argumentis solidissimis, ex sacris litteris ductis, refelli posse.

Nunc tandem ad vos, Ciues optimi, reuertitur oratio nostra, monitura vos breuiter de iis, quae vestra maxime interest, et quae ex hactenus dictis discere et serio cogitare debetis. *Primo* igitur apostoli oratio admirabilem Christi amorem nobis in memoriam reuocat, eo inprimis euidentissime declaratum, quod vitam pro salute nostra indignissimo mortis genere profudit, ut nos cum Deo in gratiam reduceret, ac res nostras plane in tuto collocaret. Nihil ergo indignius excogitari potest, quam

tantum amorem Christi contemnere, quod profecto ab omnibus fir, qui illo non decenter, neque ex sententia amantis vtuntur. Nihil hoc aliud est, quam salutis suae inimicum esse, ac totam vitam omnemque operam in id conferre, vt eum offendas, qui tibi amicissimus est, atque vt misere et in aeternum pereas, cum aeternum et praeclare conseruari potuisses. Contra vero nihil homine, nihil sapiente, nihil denique erudito dignius, quam tantam Christi beneuolentiam grato animo venerari, totaque praeterea mente et cogitatione in id incumbere; vt eam salutis viam ingrediaris, quam tenens dulcissimos amoris Christi fructus percipere, omnibusque illis beneficiis frui queas, quibus nos propter merita Christi vere paterno animo ornare dignatur Pater Domini nostri Iesu Christi. Nihil denique ad hanc vitam quiete transigendam aptius, atque ad futura bono animo exspectanda accommodatius, quam, Spiritu Sancto per euangelium in animo testimonium dicente, perceptum et exploratum habere, imo quotidianis experimentis cognoscere, te ad singularem diuinam indulgentiam pertinere, nec ex eorum numero esse, qui aut Deum, qualis non est, sibi fingere, aut memoriam illius fugere, aut numen ideo horre-re coguntur, quoniam de gratia illius rite ineunda non solliciti, imo conscii sibi sunt, se adhuc propter impietatem atque irreuerentiam in magna apud illum offensa esse.

Deinde id quoque ex apostoli oratione apparet, Iesum Christum non solum causam, auctorem et vindicem salutis vniuersi humani generis esse: sed esse eum etiam et agere ducem et imperatorem summum omnium ciuium ciuitatis Dei; cuius ideo partes sint, sua ipsius quasi vexilla anteire, bellum non minus propulsare, quam hostibus inferre; suis vero viam demonstrare, illos, per varios licet casus variaque rerum discrimina, illaesos ac saluos imo triumphantes in regnum coeleste inducere, atque ante oculos patris constituere. Ad hoc autem munus suum praestandum et plane conficiendum, nec voluntas illi, nec fides, nec potentia deest; imo haec omnia adeo in illo excellunt atque eminent, vt nemo se destitutum iri vel suspicari debeat, nisi qui nefarius salutis suae aut hostis aut desertor, indignissimis dominis imo tyrannis immanissimis, diabolo videlicet vitis ac prauis cupiditatibus

bus mancipatus addictusque, mauult turpiter seruire, quam optimo Seruatori parendo, atque indulgentissimo patri obtemperando, vera libertate frui.

Tertio illud etiam dignum est, quod altissime in animos demittamus, spiritus scilicet credentium solutos ac liberos confestim ad Deum *patrem Spirituum* (Ebr. XII, 9.) proficisci, non secus ac spiritus Christi sine mora ad eum peruenit. Non itaque longe differtur expectatio fidelium ex hac vita excedentium; multo minus vero somnus illorum animas opprimit, atque omnis sensus bonorum coelestium expers quies, ut nostra quoque aetate nonnulli somniare, et somnia sua temere effurire non sunt veriti. Vere beati ergo ac felices sunt illi, imo soli, qui et mortalitatem suam et immortalitatem per omnem hanc breuem caducamque vitam ita cogitant, ut bene atque in Christi societate et discant et consuescant mori, ne tum moriantur, cum moriuntur, sed potius in ipsa morte illam vitam viuere incipiant, cuius nec finis, nec vicissitudo, nec fatietas vnquam erit. Illorum contra vita mors est, qui aut plane ut barbari in diem viuunt, aut rebus huius vitae, si non vnice, saltem praecipue seruiunt: hi enim miseri mortales causas viuendi quotidie finiunt. Cogitemus ergo, nos quasi de lucro viuere, et ad aeterna nos rite praeparemus, illo ad eam rem tempore vrentes, quod cum maxime ad viuendum datur, non illo, quod demum datum iri speramus, vel potius haud raro somniamus: sapientis enim est, quotidie agere non victurum, sed viuentem, ne longa spes delusa tandem ad querelam recidat.

Quarto denique ita ratiocinamur. Si Deus impietatem ac pertinaciam hominum, Noae aetate viuentium, tam grauiter vindicauit, quid nobis accideret, in tanta euangelii luce tenebras nihilominus captantibus et amantibus. Quod si enim illi contumaciae poenas non effugerunt, quomodo nobis effugere contingeret, qui haud paullo plures ac grauiores Deo credendi atque obtemperandi causas habemus. Ad sanitatem ergo redeant, si homines esse velint, qui clementia ac placabilitate Dei ad perseuerandum in vitiis suis adhuc indignissime abusi sunt. Ignorant enim huiusmodi mortales Deum, dum eum ex se suoque ingenio fingunt.

fungunt, perniciosissima opinione ducti, illum in obseruandis vindicandisque hominum male factis aequae negligentem esse, atque ipsi esse solent diligentes in suscipiendis.

Haec ergo, Ciues optimi, vobis inprimis dicta volumus, exploratum quippe habentes, multas ac grauissimas nobis talia vos monendi causas esse. Deus vero faueat, vt nos non solum oratione, sed etiam exemplo nostro vos, vt par est, ad illa omnia exacuamus, nec, vt poeta loquitur, *cotis modo vice fungamur, acutum reddere quae ferrum valet, exfors ipsa secandi*. Vos autem in fine orationis nostrae amanter non minus quam grauitur cohortamur, vt per hos dies festos, Seruatoris rediuiui ac triumphalis memoriae sacros, non tantum praua omnia atque indigna a vobis remota esse iubeatis, sed etiam sequamini recta ac bona. Quod tum demum fiet, si impietati et vitiis nuncio remisso in finem Christi confugeritis, qui tam illustria aeterni et immutabilis amoris sui monumenta constituit, vt nulla vobis dubitandi causa relicta sit, curam illius pro vestra salute excubare, totamque in eo poni; vt nec consilio suo, nec opera vobis seruandis desit, si modo vos vicissim illi operam dare, nec vobismet ipsi deesse velitis.

P. P. Pridie Paschae. A. MDCCC XXXVIII.

